



Angewandte

Bibl. Rom

Vc 734

PARENTALIA
ILLVSTRISSIMO
AC POTENTISSIMO
PRINCIPI, ET DOMINO, DN.
IVLIO, Brunsvicensium & Lu-
næburgens. duci.

Tertiūm facta

In illustri academia JULIA

ab

Henrico Meibomio, Poeta Lau-
reato, & acad. IVLIAE pro-
fessore publico.



HELMÆSTADI
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCI.



WERNERSTADT
Brockhaus'sches
Anno 1794

PARENTALIA ANNI-
VERSARIA.

Sancte Deus, mundi fictor, qui trinus & vnus
Æuum agis æternum & moderamine cuncta gu-
bernas;

Mens bona, mens sapiens, mens casta & originis expers,
Huc ades inq; tuo coëuntem nomine cætum
Ingredere, & sanctis medius succede cathedris.
Grata tibi placeat deuotæ victima laudis,
Officiumq; pium: placeant redeuntia festa,
Sacra patri patriæ, simul & tibi sacra, datori
Scilicet, ingentis, quem nunc lugemus ademtum,
Thesauri, summiq; boni. nam principe miti,
Qui patris instar habet: qui pro lege & grege pugnat,
Quid melius maiusue daret diuina potestas?

Talis eras nobis, dum fata Deusq; sinebant,
Diue parens, qui fama orbem, virtutibus vrbes
Implesti, meritisq; tuis. te carmine grato
Niclebrem, cineresq; pios de more coronem,
Nulla meas vnquam comitetur gratia Musas,
Aridaq; infausto molimine vena laboret.
Ab nunquam è nostro facies tua pectore cedit,
Cumq; pio vultu gestarum pondera rerum.

Quid faciant alij non est inquirere nostrum.
Sat mihi declarasse animum memoremq; piumq;
Gratus amo dici ingratus detestor haberi.

A 2

Nec

Nec tamen hic vlllos mordaci carmine ledam,
Dum perago laudes voti reus: absit iniqua
Consuetudo, p̄is quæ copulat impia rebus.
Non benè conueniunt cartæque leguntur eâdem
Heroum laudes ingestaq; probra sepultis.
Vidi ego qui procerum texens encomia, viuos
Defunctosq; simul versu laceraret acerbo,
Deformemq; animum informi prodebat hiatu
Multa crepans varijsq; modis conuicia ructans.

Infelix Proteu, si te tua lubrica tutum
Præstat in orbe fides, vitæq; pericula tollit
Obsequium pietate carens, nulliq; negatus
Calculus, & caussa stans pro quacunq; voluntas
Conciliat tibi corda Ducum, ventura timere
Disce mala, & nulla subeundum fraude tribunal
Iudicis ætherei iam formidare memento
Cerbereos rictus, & rostrum vulturis vncum,
Eumenidumq; faces, stygiæq; paludis hiatum.
Nemo scholas impunè probris impleuit, & artis
Legitimæ turpem publi monstravit abusum.
Musa Deum auctorem agnoscit, legesq; recepit
Quas illi violare nefas. si nomina Vatis
Vsurpas, vt habere posses, de disce ferocem
Ostentare animum: ieiuna calumnia fauces
Strangulat auctoris, nec obest tamen amplius vlli.
Nunc ad iusta feror funebria, tollite mecum

Tollite

Tollite quæso animos lapsasq; euoluite messes.
 Sæuijt occiduis & adhuc quoq; sæuit in oris
 Crudus Iber, mixto Pænorum sanguine cretus
 Gotthorumq; vaga Venere & crudelibus ansis
 Perfidiaq; Getis Pænisq; nocentior ipsis.
 Non ille obiecti retinetur limite Rheni,
 Belgicâq; Hesperio populatur milite regna:
 Sed proferre pedem cupit, & iam VVestvala vexat
 Oppida? crudelem in morem bachatus vbiq;
 Illum non ætas mouet, aut miseratio sexus
 Feminei, squalent abductis arua colonis,
 Rarus & oppressis habitator in vrbibus errat.
 Illic bellorum furia Martisq; tumultus
 Legibus inducere situm, prætoria nullo
 Iure gubernantur; confusio in omnia sæuit
 Decolor, & pressæ lugent sua fata cathedra.
 Nec satis hoc, quod maius erat, nulliq; carendum.
 Abstulit ista bonum rabies: procul exulat illic
 Relligio cultusq; Dei: quæ cuiq; libido
 Suggestit & furijs mens externata sinistris
 Cogitat, infausto sacrorum nomine prostant.
 Nullus ibi iudex, nulla est censura coërcens
 Inuectum scelus, & melioribus impia mutans.
 Vsq; adeo sine more furens, sine vindice grassans,
 Omnia fatalis scelerum cataclysmus inundat.
 Talis erat quondam Iudææ gentis & vrbis

Conditio: non illa Deum, non illa Prophetas
Audierat, pœnæq; dies iam proxima ferri.
Ergo domi periura cohors, foris aduena miles
Afflixere urbem: pietas emota reliquit
Hospitium vetus, extorri successit manis
Doctrinæ species & verbi flexilis vmbra.
Cætera turpauit leges oblita libido,
Ira calens, liuor niger & temerarius error,
Nulliusq; vices vnquam miserata tyrannis.

Has inter turbas gentisq; pericula nostræ
Viximus indemnes, neq; nos iniuria læsit
Hactenus vlla virum: timuit violentia fines
Tangere pacatos damnoq; laceffere vires.

Debemus primùm ista Deo benefacta potenti,
Qui bonus & clemens pro nostris excubat agris,
Qui rabiem cobibet tumidæq; repagula genti
Obiicit, & nostros occultat tegmine nidos.

Proxima debetur tibi laus pater optime Iuli,
O verè Pater! o pacis nutritor & obses!
Te faciente, malis cincti furialibus, hostem
Spreuimus Hesperium, mandataq; plena minarum
Prædonis Siculi, quo non truculentior alter,
Sive nouo, seu quis nostro est expertus in orbe,
Risimus & creperis equalia duximus auris.
Te duce doctrinæ facies illæsa remansit,
Depositumq; pij superest sine fraude Lutheri,

Inuito

Inuito Satanâ: non desultoria nostris
Asperfit maculam leuitas, neq; cessimus vlli
Doctrinæ studijs & religionis amore.
Tu pius & clemens mandasti talia nobis:
Tu pius & clemens fecisti hæc oia nobis.
Nemo tibi non multa refert accepta, tuisq;
Impensis fruitur, per te fons largus & vber
Hic scatet & dulci perfundit regna liquore.
Nouimus hæc memoresq; tui super astra feremus
Tota cohors, & cùm tua sint communia nobis
Munera, communi dabimus tibi carmina plausu.
Non hic materies venit inquirenda molestè:
Pauca locuturo, pro more & tempore, finis
Respicienda mihi & rerum delectus habendus.
Ergo nec augustos pro religione labores
Guelfiadæ referam, nec forte & nobile pectus,
Ausum omnes superare minas, & fidere Christo
Mille inter clades dubiaq; pericula vitæ.
Non factos sumtus, vt barbarâ sacra fugaret,
Et faciem priscam castis induceret aris.
Non pacis studium Themidiq; palatia structa:
Tempus erit quando ista canam, nunc sufficit vni
Plectra sacrare rei, nostrisq; referre Camænis
Propitium nobis animum dextramq; benignam,
Erga artes artisq; sacros solertis alumnos.
In primis erga hanc quam condidit ipse palæstram

Julia

Iuliadeng, suo voluit de nomine dici.
Digna nimis res ista cani. Vixisse fatemur
Heroes magnosq; Duces, qui laudis amore
Incensi suauiq; simul dulcedine moti,
Fundauere scholas & nutrimenta dedere
Exulibus Musis Phœboq; frequenter egenti:
Nil illi ad Guelfum, cuius propensio clemens
Et patrij affectus, nunquam vlla parte remissi,
Excessere modum & palmam eripuerunt togatis
Principibus. non falsa loquor, nec tenuia grandi
Ausa sonore veho, mouet assentatio linguam
Nulla meam, sed quæ rumor notoria fecit
Publicus, inuidia quæ testificante susurrat
Fama loquax merita vocis parcissimus edo.
Ab quam comis erat! quàm mitia verba serebat
Gymnasiij de rebus agens! effusior illic
Semper erat fauor, & solito clementia maior.
Vtq; recens nata blanditur idonea proli
Mater, & affectus nescit cohibere latentes,
Verba sed ad teneros ludens accommodat annos:
Haud aliter Guelfus celsum demittere pectus
Norat, & in nostris operam consumere rebus
Gaudebat de more patris, magnumq; putabat
Esse noui structor confirmatorq; Lycei,
Atq; sui memores alios fecisse merendo.
Quæ nobis mandata dabat, mandata parentis

Dixit.

Dixisses, non iussa Ducis: spirabat amorem
Litera, verba fidem, nec erat parere molestum.

Si qua perastuta surgebant schismata fraude,
Inuectura nefas, & religionis honori
Detractura, pio mystas sermone iubebat
Consulere in medium atq; ortis vigilare periclis.
Vos, quibus aetheria custodia credita legis,
Ferte oculos per cuncta, lues ubi subdola pestem
Ingerit, & caeca contaminat obuia labe:

Fas illic vigilare pios. dediscite mundi
Præcipites horrere minas & cedere vero.
Virtus manca pauet, ubi se violentia prodit.

Ite animis contra, nec sit concordia tanti,
Vt sincera fides per vos & vestra laboret
Consilia, infelix pax est, & dissilit vno
Momine, quæ sanctæ præiudicat vniõ legi.

Discite non dubiæ bonitati fidere causæ:
Causa Dei securæ Deo sub vindice perstat.
Hanc agite, vt specula quos ipse locauit in alta
Omnipotens, iussisq; monens instruxit apertis.

Ista dabat mystis præcepta, loquentis ob ore
Pendebant auidi quibus hæc audire licebat,
Ingentemq; animum stupuere disertaq; labra.

Nos quoq; præterea, sumtu quos ipse benigno
Addiderat cathedris pubemq; docere iubebat,
Officij admonuit: Non vos discordia, non vos

B

Impia,

Impia, dicebat, coniunctos iurgia turbent,
Auget opes paruas concordia mitis, at Vrbes
Eruit, & magnas discordia pauperat aedes.
Quid iuuat in cathedris vitæ præscribere normam,
Atq; illam violare domi? consentiat ori
Vita, nec à stricta morum via lege recedat.
Nemo simulates, irritamenta malorum,
Atq; odia & rixas vulgum peccare docentes
Excitet, aut longo sinat implacabilis vsu
Viribus augeri: lapsis ignoscite mites.
Prona reluctantes obliuio deleat iras,
Et premat affectus discretio sana rebelles.
Nulli fas docto viciosis moribus vti.
Non vos ambitio, non vos exerceat ardor
Gloriolæ leuis, immunes fastusq; tumorisq;
Officij iussos gnauè exantlate labores.
Commendare suas operas studiumq; fidemq;
Detrahere alterius meritis, famamq; procaci
Extenuare sono, non est sapientis: inorus
Quisq; sit, ad proprias vbi panditur area laudes.
Degeneres animos tumor arguit, acriter odit
Verborum phaleras & sesquipedalia verba,
Qui sapit, atq; animum recta formauit amussi.
Vos vitæ morumq; typi, si vestra notatur
Labe domus, vicijq; locum dat vita, latenter
Incrementa lues capit & magis aucta per urbem

Diditur

Diditur, hoc animis memores infigite vestris,
Hoc versate viri; si vobis publica cordi
Commoda, si studium parere Deoq; mihiq;
Est capitis diadema mei, regniq; columna,
Quae mihi non paruo structa est academia sumtu:
Hanc cupio saluam & dotis nullius egentem.
Nec deerit fortuna rei feliciter actae:
Vos modò, ceu par est, vestigia carpite nostra,
Inq; Scholam vestras mecum defigite curas.

Talia dicta dabat, quae nunc quoq; mentibus haerent
Fixa bonis, semperq; bonis infixata manebunt.
Paruimus tibi diue parens, tua iussa sequemur
Vnanimes in amore pio: procul este proterui,
Este procul pacisq; hostes placidaeq; quietis.
Nulla subest nobis rixarum caussa, nec irae:
Viuimus illaesi, sed non sine numinis aura,
Expertesq; mali: stultum est admittere bellum,
Pax vbi se sistit: quae cuiq; est gratia, nulla
Inuidia flagrat: communia quærimus omnes,
Nemo sua: hic comitem qui se mihi denegat, illi
Se quoq; vita neget, scelus est cum talibus esse:
Indignum tales perferre. ô nostra sequaces
Discite sectari iuuenes vestigia, nam vos,
Vos quoque Guelfiades semper flagranter amauit.
Vidistis plerique illum hac in sede morantem,
Stipatum Imperij non vno principe, & aula

B 2

Lumini

Luminibus procerumq; choro splendente superbum.
Tum quoq; cura fuit cathedras inuisere & agmen
Cernere Phœbeium, iuuenes iuuenumq; magistros,
Urbibus excitos varijs, toto orbe profectos,
Dissimiles habitu nec lingua & moribus vnos.
Acriter hos omnes oculisq; animoq; notabat,
Multa super studijs rogitans, super agmine multa:
Qui genus, vnde domo, quæ mens & copia cuiq;
Munera quinetiam discedens larga reliquit,
Nectareos Bromij succos pinguesq; ferinas,
Argumentum ingens animi clementis & equi.
Sæpe recenseri numerum mandabat, vt esset
Certior, an Scholicus paullatim augetur ordo,
Vel noua desererent sacros examina ludos.

Quin vbi regali faceret conuiuia sumtu,
Hospitio excipiens reges magnosq; dynastas,
Noluit his pompis Musas & carmen abesse.
Iussit adornari iuuenes, qui sindone tecti
Ceruleâ vittisq; & odoris floribus horti,
Nympharum in morem, quas ingeniosa vetustas
Finxit agris syluisq; simul fluuijsq; præesse,
Solennes epulas inter sub fornice lato,
Dulcia iucunda resonabant carmina voce.
Hoc condimentum mensarum suaue putabat,
Æmulus antiqui moris, nam prisca notatur
Carminibus mensas ornasse decentibus ætas.

Orarum

O rarum fidei specimen magniq; fauoris,
Erga humiles spretasq; Scholas! vidi ipse notantem
Ingenia, & mores iuuenum, quicumq; sonora
Voce loquebantur praescripta, placenteq; gestu
Addebant verbis decus, hos laudare solebat.

Singula quid referam? quo testaretur amorem
Eximium calidoq; sitam sub pectore flammam
Affectus patrij, nos pignora cara vocabat,
Nos curam fastumq; suum dicebat: ab omni
Ambitione alijs liber, minimeq; superbus,
Hic meritis voluit praecellere & esse supremus.

Haec sancta ambitio est, haec laudis honesta cupido,
Quae Christum sitit & Christi desudat honori,
Nulli operae parcens, & nulla impendia curans,
Seque putat vinci miserum, sed vincere pulcrum.

Nec deerant, quos noster honos & gloria nostra
Occulta inuidia stimulisq; agitabat amaris.
Illi inopes artis studiorumq; omnium egeni,
Ore homines, animo fuci & sine nomine ventres,
Principis egregios ausus & sancta volebant
Consilia in medio prohibere ac sistere cursu,
Omnia caussantes. euicit prona voluntas
Guelfiadae infracti, quem munificentia clemens
Fecit vt illustrem, sic magnificentia Diuum
Reddidit, & summis aequavit regibus orbis.

Aspice nunc quicumq; nigro liuore truciq;

B 3

Inuidia

Inuidia palles: cui sunt aliena dolori
Commoda, damna placent: qui nos & nostra proteruè
Carpere facta soles: nunc aspice, vt impia vestrùm
Scommata & effrenis conuicia turpia lingue
Nostra diu virtus eliserit. omnia vobis
Eripimus, palmam & palmæ victricis amorem.
Maxima de nobis fuit expectatio quondam,
Vicimus hanc & larga seges succreuit in agro,
Quem sterilem liuor vacuumq; calumnia dixit.
Sedulitas operum, labor indefessus, & expers
Crimine relligio, pro vero cura laborans,
Iuliaden superis equat. tria lustra peregit
Hactenus, & tragico Satanae tentata furore,
Horresco meminens, discrimina plurima passa est:
Sed duce freta Deo, & recti sibi conscia semper,
Vim Satanae atq; hominum molimina praua malorum,
Posticas sannas & multa opprobria vicit.
Et nunc inuidia vel tabescente, sorores
Teutonicas inter cælo caput altius effert.
Ipsi Itali testes & viuuda pectora Galli,
Qui nos, qui nostras operas, dominumq; domumq;
Saxonica positam tellure, rigente sub arcto
Laude vebunt, mirati illic noua surgere tecta,
Laurigero sacrata Deo, quâ belliger olim
Fixerit audaci nisu tentoria Mauors.
Hæc tua laus, hæc est princeps tua gloria Iuli:

In vi

Tu vitam famamq; Scholæ nomenq; dedisti,
Illa tibi vitam, famam, nomenq; creauit.
Tu sumtu vates aluisti inopesq; leuasti;
Illi te rursus super æthera carmine tollent.
Quique premet mundum mortalia cunctaq; casus,
Inferet ille tuis extrema obliuia factis.

At quæ sicca iacent planeq; exsucca, nouabit
Ossa Deus, carnisq; nouo decorabit amictu.
Corpus erit, quod puluis erat, resoluta coibunt
Fragmina, & antiquæ constabit gratia formæ,
Grata magis, vacua illuue & pœdore fluenti.

Interea generose cinis manesq; beati,
Æternùm saluete mihi æternùmq; valete :
Salue iterum atq; iterum cari cinis alme parentis,
Egregij manes iterumq; iterumq; valete.



20. J. 4. 18. 17

223

AB: 59072

ULB Halle 3
001 949 837





TA=001

V. 17

Rebro
KD 17







PARENTALIA
ILLVSTRISSIMO
AC POTENTISSIMO
PRINCIPI, ET DOMINO, DN.
IVLIO, Brunsvicensium & Lu-
næburgens. duci.

Tertiùm facta

In illustri academia IVLIA

ab

Henrico Meibomio, Poeta Lau-
reato, & acad. IVLIAE pro-
fessore publico.



HELMÆSTADI
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCI.

